



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

SS. Andronicvs Et Athanasia Conivges. & Anachoretæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

42 ANNOTAT. AD COS. MONACH.

fus ad victum locumque vnde vnde au-  
rentur, omnia ad Dei, hominum semper  
amantis laudem & gloriam, Amen.

ANNOTATIONES.

**E**st huius Cosmæ in Menologio Græcorum  
hoc eodem die mentio. Similia porro visa  
multa apud D. Gregorium in 4. Dialogo. Be-  
dam lib. 5. historiæ Angl. cap. 13. 14. 15. Carthusianū  
in colloquio de Iudicio animarū, & in Brigittæ vi-  
sionibus leguntur. Refert & formidabilem raptum  
in Pelignis, cuiusdam qui è carcere ad inferos du-  
ctus, & ex inferis in carcerem reductus, Alexander  
ab Alexandris lib. 6. Genial. cap. 21. Extrat & libellus  
apud Bredenbachium lib. 8. c. 39. fratrum S. Vin-  
centij Metensis de admirabili visione Yguentini  
quondam Canonici. Infra plura ex Menæis.

Nec ignoramus hæreticos hæc omnia, quam-  
vis testata, ad deum Fabulinum ablegare, nec pas-  
sim ab ijs hæc credi, nisi in rem præsentem veniant,  
& ad ipsa inferorum præsepia descendant, vnde ne-  
gant quemquam pedem retulisse.

9. Octobr.

Metaphr.

27. Febr.

apud Suri-

um.

Martyro.

log. Rom.

9. Octobr.

Menolog.

ead. die.

SS. ANDRONICVS ET  
ATHANASIA CONIVGES.

& ANACHORETAE.

**D**ivus hic Andronicus Antiochenus il-  
lustri patria, argentariam exercebat,  
admodum pius, & optimis virtutum studi-  
is abunde deditus, & a fortunis copiosus,

VXO-

vxorē duxit Athanasiam fæminam religio-  
 sam & Deo imprimis addictam. Hi comunè  
 propensaque ad bonitatem voluntate, opes  
 suas in tres partiti sortes, vnam egentibus  
 liberaliter elargiti, alteram apud tenuiores,  
 cum egerent, sine vsura occuparunt: tertiã  
 ad usum vitæ & artificij adhibuerunt. Libe-  
 ros geminos susceperunt, marem & fæmi-  
 nã. Quibus procreatis, à tori vsu de cætero,  
 consensu abstinerunt, seseque totos tem-  
 perantiæ, votis, ac precibus, egentiumque  
 & laborantium curæ manciparunt, in quo  
 vitæ statu ad annum duodecimum perseue-  
 rauerunt, cum ecce tibi, liberi duodecennes  
 cum maximè parentes oblectare solent,  
 ambo, vno die, è vita tolluntur. & Androni-  
 cus quidem nihil indignum viro factitans,  
 vnam illam beatam cum beato Iobo vocem  
 misit: *Nudus egressus sum;* & quæ sequuntur;  
 At coniunx Athanasia, nullam dolori leni-  
 endo admittebat medicinam aut consola-  
 tionem. Quare sepultis in æde Iuliani mar-  
 tyris, liberis, inde noluit discedere, sed apud  
 liberos, inquit, & ipsa emori & tumulari vo-  
 lo. S. quidem Andronicum, Patriarcha, do-  
 loris ac desiderij mitigandi causa, ad patriar-  
 chium inuitarat: sed vxor, vt templo exiret,  
 induci nullo modo potuit, vbi se luctu assi-  
 duo conficiebat. Verum intempesta nocte  
 Iulia-

Iulianus' martyr se illi in Monachi veste  
 spectandum offert, & quid, inquit, est muli-  
 er, cur hosce quietem capere non sinis?  
 Respondet hæc: Domine mi, ne quæso in-  
 seruam tuam commouearis, graui quippe  
 dolore premor. Nam cum geminam solū  
 prolem haberem, hodie vtramque simul  
 extuli. Et Martyr; nihil est, inquit, quod ho-  
 rum causā plangas. Etenim quemadmodū  
 natura humana cibum flagitat, nec fieri po-  
 test, vt is ei negetur, ita paruuli desiderant  
 ab illa die, bona æterna, cum dicunt: Iuste  
 Iudex pro mortalibus bonis, quibus priuari  
 sumus, ne priua nos cælestibus. Quæ, mulier  
 cum audisset, animo ad æquitatem reuoca-  
 to, imò penitus ad gaudium translato: si vi-  
 uunt, inquit liberi mei apud superos; quid  
 ploro? versaq; patrē, quē audierat loquētem  
 requirebat, & cum totum obijisset templū  
 non reperit. tum ad ianitorem: vbi est, in-  
 quit, monachus ille huc modo ingressus?  
 cui ianitor: fores omnes, occlusas ipsa vides  
 & quæris vbi sit monachus ingressus? intel-  
 lexitque illi speciem cælestem obiectam.  
 Ergo terrore correpta mulier se domum  
 contulit, viroque exposuit, quæ viderat,  
 petijtque vti se in cœnobium abire permit-  
 teret (vbi religionem profiteretur) Andro-  
 nicus verò libenter hanc eius petitionem  
 admi-

admisit iam diu enim hoc idem & ipse desiderabat, bonisque maximam partē in pauperes distributis, seruisque manu missis, quæ supererant socero commisit, cui præcepit, vti peregrinis hospitia, valetudinaria ægris ædificaret. Ipse modico secū accepto viatico cum vxore noctu solus urbem reliquit. Vxor verò Athanasia procul iam respectans domum suam; cælumque suspiciens: Deus, inquit, qui Abrahamo & Saræ dixisti; Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauro tibi; tu dirige nos in timore tuo: Ecce enim domum nostram propter nomen tuū apertam reliquimus, tu ne claude nobis ianuam regni tui cœlestis, itaque plorantes ambo abierunt: simulque ad loca sancta, Hierosolymam, venerabundi adierunt, vbi cum multis religiosis viris in colloquium venerunt. Reuersique inde ad Danielelem Abbatem se contulerunt, ab eoque petierunt, vt Athanasiam in cœnobium faminarū religiosarum reciperet, qui misit illam in Tabenesiorarum monasterium. Andronicus autem cœlestem monachorum habitū à sene indurus apud Danielelem duodecim totos annos transegit. Elapso porro duodecennio rogauit Danielelem Abbatem vti sibi rursus loca sancta Hierosolymis obeundi faceret

faceret

faceret potestatem, qui bene ei precatus annuit precanti. Dum ergo per Aegyptum iter faceret, sub arbore resedit, ut se paulum ab aestu recrearet: Cum ecce tibi diuina prouidentia vxor illius, & ipsa loca sancta aditura virili tecta veste, viro suo Andronico occurrit, qui dum inter se consalutarent, illa quidem virum mox agnouit, sed ille vxorem quae forma illius & pulchritudo, praestudio religiosae exercitationis concidisset, & in aethiopiis penitus degenerasset, haud cognouit. Alloquitur ergo illa hunc. Quo tendis Domine pater? Hierosolymam, inquit ille ad loca sancta, & illa: eadem mihi mens illuc proficiscendi. Tum ille: si placet, vna iter faciamus, placet, inquit, illa, si ita iubes, ea tamen lege, uti in itinere (perinde silentium obseruemus, ac si ego penitus abesse, & Andronicus, ut iubes, & Athanasia rursu: Nonne reuera Danielis Abbatis es discipulus? sane inquit: nonne Andronicus appellaris; etiam inquit; preces (inquit Athanasia) Abbatis senis sint nostrae peregrinationis comites. Amen inquit Andronicus. Ita ambo vna profecti loca sancta adorarunt, silentesque Alexandria reuersi sunt. Vbi Athanasius (sic enim Athanasia nomen inflexerat) vis, inquit, Andronice simul in eadem cellula habitemus? Ut placet inquit Andronicus: sed prius Da-  
ni.

∴ *Canobis*  
nomen est.

nielis vota expetam. Abi, inquit, illa; Ego te hic expectabo ad .∴ Octauum decimum. Quod si tamen mecum degere volueris cum eo silentio, quo vna peregrinati sumus, reuerrere, sin minus: nihil est quod redeas. Abijt Andronicus & Danieli Abbati rem exposuit: qui, abi, inquit, & silentiam obserua, atque cum fratre (Athanasio) mane, est enim, vt decet, religiosus. Ergo vbi reuertit Andronicus, vna habitauerunt. Athanasius & Andronicus coniuges alteros rursus duodecim annos, nec vnquam Andronicus Athanasiam vxorem suam esse cognouit. Frequenter igitur Abbas reuisebat ad illos, piosque apud eos, qui ad illorum salutem pertinebant, sermones instituebat. Quadam vice cum senex esset reuersus, atque cum illis, de more, de rebus piis tractasset, atque iam domum repeteret, vestigia secutus Danielis Andronicus, eumque asssecutus, pater Athanasius, inquit, ad Dominum proficiscitur: Reuersus Daniel senex offendit illum febrientem, coepitque lacrymare Athanasius, cui Daniel Abbas: Quid? tu cum occursum Domino abeas, pro eo quod triumphare gaudio debeas, ploras? Cui Athanasius: Non ploro, nisi P. Andronici causa. Sed quæso præsta mihi hoc charitatis officium? vbi sepultus fuero, reperi-

es codicillum ad caput ( lectuli mei ) lege illum, & lectum patri Andronico legendū exhibe. Votis igitur ac precibus rite peractis, cum sacram synaxin sumisset, obdor-

*\* an linte-  
ati Et ho-  
die sacer-  
dotes. Græ-  
cè est*

*λευκοφο-  
ροῦτες al-  
bati seu al-  
bas ferētes*

*\* Ita apud  
Climachū  
celebratur*

*Mennæ sã  
et ssimi pa-  
tris terti-  
us, ante an-  
nos mille  
ducentos*

*siginti &  
amplius.*

*p̄cipua n.  
terti, sep-  
timic̄ tri-  
cesimi diei  
ratio habe-  
batur sem-  
per, Et ex  
Tertullia-  
no & aliis  
discitur.*

miuit in Domino. Sed cum ad funus curan- dum venissent, ecce tibi Athanasius \* mulier deprehenditur: quod mox fama in Lauram attulit. Abbas totam mox Scetanam solitudinem per nuncios euocat, etiam eos qui intimam siluam habitabant, omniaq; cœnobia Lauræ Alexandriam properarunt, vnaque tota ciuitas confluxit; venerunt & Siciotæ \* candidati pro ritu Sciotarum. Effertur ergo sacræ nobilesque reliquiæ cum festis frondibus, ac palmis solennique laude numinis, quod tantas fœminæ continentia, patientiaque vires indulserit. Mansit Abbas ibidem vti diem \* septimum Athanasia celebraret, dein reuersurus secum volebat deducere Andronicum, qui recusauit: Cum dominâ, inquit, meâ hic moriar. Quem cum postea aliquando reuideret Abbas, atque ab illo domum abiret, occurrit illi frater: qui Andronicus, inquit, laborat febrili, qui rursus Scetanos accersit patres: Adeste, inquit, Nam Andronicus pater fratrem sequitur Athanasium; aduentantes adhuc spirantem inuenerunt, qui cū omnibus benè precatus esset, quieuit in Domino. Ex-  
cirit



titur verò & contentio inter patres Octodecimanos, & Scitiotas, utrisque secum habere sacras Andronici reliquias, annitentibus, ægréque tandem Cœnobiarcha illos adduxit, uti permetteret Andronicum cum comilitate Athanasia (& consorte) sua sepeliri. Sic ergo pacati utriusque, Deum omnium conditorem laudibus celebrarunt.

## ANNOTATIONES.

Illustris planè historia, nec scio an par illi in omni reperiatur antiquitate. Quod de Daniele abbate refertur, veluti magistro Andronici & Athanasia, haud scio, an in illum Daniele stylyten conueniat (cui dies undecimus Decembris sacer) a S. Damasceno, Nicephoro, Cedreno, Cyro ex consule, Metaphraste, & alijs celebratum. Diuersum hunc ab illo sentio. Et fortè est ille omnium etiam literis decantatus, qui apud Cassianum in collationibus disputat.

Huius Athanasia supra meminimus in vita S. Apollinaris.

Laudatur alius Andronicus cum Drusiana coniuge in actis S. Ioannis Apostoli, quæ Abdias composuisse creditur, & extant in historia Christiana Patrum. Sed operæ non fuit illa huc transcribere.

## ANONYMVS MONACHVS ET MARTYR memorabilis.

MONACHUS quispiam in Scetana solitudine

D

dine